SECVNDA NAVIGATIO CLASSIS OPALENIÆ

Ad fortunas Insulas & Infulas

DVM

ILLVSTRISSIMVS & REVERENDISSIMVS DOMINVS

D. CASIMIRVS IOANNES DE BNIN OPALENSKI

EPISCOPVS CVLMENSIS

Solenni ritu pompâq; CVLMENSEM iniret Sedem.

A.

Regio Varsauiensi Scholarum Piarum Collegio.

Oratorio descripta Calamo.

ANNO

Quo velatus carne humana DEVS Itinerarius esse cæpit, 82. supra 1600.

Varsauiæ, Excudebat Carolus Ferdinandus Schreiber.

IN GENTILITIVM
Illustrissimæ DOMVS OPALENIÆ Stemma.



Frustra procellosi concurritis agmine nimbi
Et coniuratos truditis imbre Notos;
Vt tumidis Lechicam Gentem mergatis in vndis
Nomen & offusis contumuletis aquis.
Nil horret vestros secura Polonia fluctus
Quæ dat OPALENIÆ *membra vehenda Rati.*

Georgius Franciscus Laskowski Canonicus Lateranensis
Auditor Philosophiæ in eodem Collegio.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM ANTISTITEM.

ETiam ad nos pertinuit PRÆSVL ILLVSRISSIME, vt Te Solenni ritu adoraremus, quem festiuis Culma celebrat applausibus. Cùm enim nos à Tua non excludas Tutela, in Venerationem admittis; Imò vbi iam ad Tuam gratiarum Aram introitum fecerimus, reliqua quæ sunt nostræ in Te propensionis peragimus: à qua tamen ampliùs nobis recedere non licere, generales affectuum nostrorum Rubricæ constituunt. Et si nullo modo super hac difficultate velimus dispensari, à Te tamen ILLVSTRISSIME PRÆSVL, præstolamur declarationem, sed beneuolentiæ. Nec hîc de communi Pontificum dicimus, sed de Te singulari meritis & Virtute PRÆSVLE. Amoris enim Directorium, cum Te sciat nostrum Patronum, singularia nobis de Te præscripsit officia: quæ non dicamus, sed Tibi dicemus sine tamen Breuiario, & Diurno, eò quòd non iam Septem horas Tibi consecramus, sed vitæ tempus. Nec de Te aliam adiungimus orationem, nisi quæ est de secunda ad Honorem nauigatione; quam Cliens Labor composuit, obsequens calamus impressit, deuota Honori Tuo ora pronunciauêre. Et cùm sis apud nos maius Celebre, non essent quidem preces addendæ;

AD
ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM ANTISTITEM.

ETiam ad nos pertinuit PRÆSVL ILLVSRISSIME, vt Te Solenni ritu adoraremus, quem festiuis Cultu ma celebrat applausibus. Cùm enim nos à Tua non excludas Tutela, in Venerationem admittis; Imò vbi iam ad Tuam gratiarum Aram introitum fecerimus, reliqua quæ sunt nostræ in Te propensionis peragimus: à qua tamen ampliùs nobis recedere non licere, generales affectuum nostrorum Rubricæ constituunt. Et si nullo modo super hac difficultate velimus dispensari, à Te tamen ILLVSTRISSIME PRÆSVL, præstolamur declarationem, sed beneuolentiæ. Nec hîc de communi Pontificum dicimus, sed de Te singulari meritis & Virtute PRÆSVLE. Amoris enim Directorium, cum Te sciat nostrum Patronum, singularia nobis de Te præscripsit officia: quæ non dicamus, sed Tibi dicemus sine tamen Breuiario, & Diurno, eò quòd non iam Septem horas Tibi consecramus, sed vitæ tempus. Nec de Te aliam adiungimus orationem, nisi quæ est de secunda ad Honorem nauigatione; quam Cliens Labor composuit, obsequens calamus impresit, deuota Honori Tuo ora pronunciauêre. Et cùm sis apud nos maius Celebre, non essent quidem preces adden-

dæ, ſed cum & in ferijs de Tuis in Patriam Meritis, de Tuo in nos non feriali beneficio dicamus; etiam eas huic noſtro adiungimus Officio, non alias tamen, niſi, quæ pro Tua ſalute eſſent efficaces. Hic eſt Ordo Solennitatis in illum, quem Cliens Amor, ſtudioſa propenſio, Acolytha ſubmiſsio canonizat. Et certè ILLVSTRISSIME PRÆSVL; cum iam pridem de Tua in nos Beneficentia proceſſum fecerimus, ſanctum Te Noſtrum proclamaremus; niſi quòd Te nobis in Beficijs lárgè fundendis Numen præſtes. Cæterùm pro appendice Ceræmonialis in Te noſtræ obſeruantiæ ad eaſdem Gratiarum Aras ſuſpendimus. Scholas Pias eſſe Cymbam Tuis Gentilitijs alligatam Triremibus: proinde ad quæcunq; Honoris deflexeris promontoria, illa ſemper erit affectu Comes, ſubmiſsione Famula, propenſione Mancipium, Ita dicit, & Vouet

ILLVSTRISSIMÆ & REVERENDISSIMÆ
DOMINATIONI VESTRÆ

Deuotum & Submiſsum

Collegium Varſauienſe Scholarum Piarum.

PANEGYRICVS.

PRogredere ſecundis ventis, quo Te Tua propellunt merita, patrocinantiſq; virtutis anteit ſuffragium. PRÆSVL ILLVSTRISSIME. Et certè hic votorum noſtrorum fuerat ſcopus, vt deuios euitares ſcopulos; hæc deſideriorum meta, vt ſine metu ad emporia honoris proueherer is, arduaq; purpuratæ felicitatis attingeres promontoria. Nec Clientum Tuorum ſtudia ſiniſter eluſit euentus, qui quanquam multa eluctantis annisûs elidat initia, præſentem tamen votorum decurſum, exitu peroptato coronauit. Videlicet illorum tantùm exordia ſimilibus non redimiuntur euentibus, quibus nihil palmare, niſi incipere; nihil baſilicum, niſi attentare: quoſque ſolùm non ſauciat, ſed ſatiat deſiderium: Quaſi iam primus perfectionis gradus, apicem eiuſdem conſtituat, vel vnus inchoans decurrendum ſtadium paſſus, viam compleat, aut ſerenus dies ab aurora commendetur, non ab occaſu. At noſtra Acolytha in Tui adorationem & adornationem propenſio, ita deſideria nutruit, vt certiſsimo deſideriorum euentu lactaretur. Quanquàm conſcientioſiùs profitendum eſt, Tua Virtus meritorumq; æſtimatio allaborauit, quòd citra omne naufragium decumaniq; fluctûs periculum, ad fortunatas Honorum Inſulas quia honorarias Infulas appuleris. O quot per tot rerum diſcrimina ad hoc Honoris Latium deplorandi tendunt Æneæ, non aliam generoſi ausûs gratitudinem recepturi, quàm iniquum exitum & exitium. Verùm exantlate vires, eneruate robur, neruos intendite, obſtinatæ in Honorem animæ, vt hoc improbo laboris molimine, pertinaciam illius euincatis, duritiem expugnetis, ſuis obſecundantem nutibus reddatis, elidet & eludet Honor, hæc operoſa veſtri conatûs moliminâ. Emacerate infracti Annibales iuga honoris, duriora comperietis, quàm vt veſtro euincatur aceto, quinimò in rupem vobis ſtabit, ſi ad ſe expugnandum ſocia virtutis meritorumq; non ſenſerit auxilia. Sola quippe virtus honoris expugnat arcem, ad ſolumq; meritorum patet arietem. Mille in centuriata abeant robora, non tamen molle efficient honoris ingenium, quod ad ſolum duntaxat virtutis ictum emolleſcit; Et quanquàm ad omnes machinas occaleſcat, ad vim tamen meritorum liqueſcit. Quod ſi nonnulli honorem nomenclaturâ belluæ, nonnulli feræ inſigniant, errat

Fœlix nauigatio eſt per virtutem ad honorem.

quisquis hanc belluam domare ſine Virtutis ſuppetijs intendit, vel hanc feram ſatagit cicurare, ſine eiuſdem blandimentis. Vt enim eſt illi ſuum robur, ita & ſua illecebra; hac vt alliciat ineſcetq; necdum cicurem, illo vt ſua retractantem imperia, honorem frangat. Incaſſum ergò, incaſſum aureos caſſes tendimus, quibus volucrem accupemur Honorem, cum eum nec ferreæ concludant caſſides. Sola virtus vt ſtipendiarium, ita ancillantem, ſuo cöërcet Imperio.

Virtuti honor ſubditur. Eccur ſub erectum Reginæ virtutis ſceptrum Honor non procumbat? ſub cuius Maieſtatem cernuo ritu prouoluuntur vniuerſa; Quidquid enim vel per Oratorum indagari ſcrutini, vel per eruditas indigitari pennas, vel per facunda Rhetorum ora pronuntiari poteſt, hoc totum ad Virtutis menſuram nec producitur, nec aſſurgit: & quantò Giganteæ illius magnitudini impar repertum fuerit, tantò in ſemipedalem nanum, pumilionemq; decreſcit. Eleuent ſtruthiones, quibus duris paſci pro more eſt, eleuent ſuis calamis, quanquam non ad oratorium calamiſtrum calloſos labores, exæſas curas, laborioſas vigilias, hæcq; æmula Virtuti obijciant, vel eò quòd labor improbus vincat omnia. *[.]tiam Fortuna.* Simulacra imagini, idola verò Numini opponent. Et iam chamæleontes, quibus leui inconſtantis fortunæ vento auraq, ſatiari eſt ſolenne, ingladiatoriam hoc cæcum Numen educent arenam: Araneam in hoc luctæ & luctûs campo, ſuis irretitam caſſibus & caſibus, noſtra virtus concludet. Robuſtior hæc Pallas quàm vt ab hac propudioſa euincatur Arachne: cui vel eò æquiparare indignum, quòd fortuna ſit in ſola conſtans inconſtantia, cùm virtus nunquam hac volubili rota gyretur. Tot ſæculorum labor numeroſa concentrat artificia, quibus poſſet ſolidare, mobilem huius Deæ naturam: Imò ſapientes iam ſuum eliquârunt ingenium in argumenta, quibus poſſet deuinci & deuinciri eiuſdem Deæ inſolentia; ceſpitantem tamen in ſua adinueniunt ſeruitute. Effunde calame, effunde in Fortunam, quidquid inter agnata concludis Tibi arcana, vt tantò humilior deſcendat à virtute, quantò comptior virtute, ſed ſolis vitijs. Hæc etſi nullibi, in ſola tamen inconſtantia tenet ordinem, & cùm duræ ſit ceruicis, flectitur tamen, ſed in ruinam. Fortuna enim

Faſces & dubias rotat
Fortuna Mytras, hac modò ruſticum
Cras eſſe vel Regem docebit
Vel famulo dare iura Regi.

Quæ dum fauet, ferit; ita, vt ſæpe victores corymbi, in funereas taxos abeant; plauſuſq; triſti quadam metamorphoſi in planctum commutentur. Dum ridet, rodit; nam crebriùs euenit, vt quos fortunatos oriens aſpexerat, ij necdum ad meridiem magnitudinis

gnitudinis euecti, & iam in sua decrescant felicitate, ad occasumq; inclinentur: necdum mane honoris deductum ad prouectiorem spectarunt lucem, & iam vesperam accendi admirentur. Dum fauentiori aurâ adsibilat, exsibilat, dum ridet, irridet:

Sic est supremas quæ dedit auferet.
Fortuna Mytras: nil solidum diu
Stetit, perenne paßim
Esse nequit.

Quod Fortuna efficit beatum. Lactat, vt mactet, cachinnat, vt explodat, nutrit, vt enecet, extollit, vt deprimat,

Omne quod Fortuna culmen
Magnificis solidauit ausis,
Patet ruinæ.

Permittit quidem preßis teneri manibus, sed vt opprimat tenentem; submittit se Metelli arbitrio circumscribendam, sed vt suis eundem legibus còërceat. Cùm ergo infortunæ risu, rosionem, in blandimentis, morsum, in lenocinijs, virus, in suauitate, aculeum, in cachinno, ærumnas, in calamistro calamitatem, sentiamus, hæc luctatoria arena, virtuti pubescit in laurum, in palmam protuberat, virescit in Coronas. Videlicet etiam aridæ arenæ non sterilescunt in corymbos probitati, quæ cum sit ferax victoriarum, omnem & à desertis locis proscribit infæcunditatem. Verùm enim verò cum & meritum sit germana virtutis soboles, etiam augustis magnæ virtutis ita insistit paßibus, vt omne sub ipsius amplitudinem fortunæ abeat cacumen. Est scilicet meritum fortunæ pignus, fænus gloriæ, auspicium honoris, triumphorum currus, character nominis, virtutis pretium, æstimationis suppellex, aurora felicitatis; vt quæ vel ad fortunam in bonis, vel gloriam in factis, vel famam in posteris, vel honorem in Prouincijs, vel triumphos in Bellis, vel Felicitatem in publica luce nundinamur, hac supellectile, aurora, pignore, die, auspicio, venire existimemus. Ac proinde vt per noctem itur ad diem, per nubila ad serenum, per spinas ad roseta, per syluescentem dumorum tyrannidem, ad amæna, per absynthium ad thymum, per dura vepreta, ad mollem voluptatem: Ita per meritorum suffragia ad honores, per virtutis calculum ad curules, non deuia præscribuntur itinera. Tutò & Tu PRÆSVL ILLVSTRISSIME inimica nouercantis Fortunæ enauigasti Acroceraunia, vel eò, quia lenis Gentilitiæ Claßi Tuæ, virtutis adstipulabatur Fauonius, clemens meritorum adspirabat aura. Nullis poterant intercipi, Augusta Tuæ Claßis Nauigia angustijs, quas non rudis rerum Palinurus virtus, per flexuosos calles sciuit declinare; facileq; Gentilitia Tua Argo, lanam vellusq; in Purpuram reportauit, cui suus non defuit Typhis, meritum. Assurrexisti

Meritum est virtutis soboles.

Tuto enauigat Illustrißimus Præsul per virtutem & meritũ ad Honorem.

ergo ad culmen, non aliâ mensurâ, quàm virtutis atq; meritorum. Quæ cùm tanta in Te conferant Honorum decora, laborem Te suum & felicissimam profitentur sobolem. Nimirum facili aditu Purpuram attingit, cuius faber est Virtus & Meritum; Nec alijs gradibus ad fastigium magnæ pertingit felicitatis, quàm quos eiusdem virtutis & meritorum Fauor architectatur. Sola virtus ad fastigiatos honores compendiaria via est; Fortunæ quisquis itinere graditur, ad tumulum aberrat.

Illustrissimo insignia Præsulea ab ipsa infantia præparabat virtus.

Eloquere lingua ILLVSTRISSIMVM PRÆSVLEM, qui vel eò sonorus, quòd à canora recitatus virtute, iam sileri à labentibus sæculis non permittitur, vtpote factis & fastis, etiam post ipsa sera fata eloquentissimus. Adhuc Te agitabant infantiles cunæ, & iam curæ obstetricantem hanc Deam sollicitabant, vt corpusculum Tuum ad suam dilataret capacitatem, animum ad suam Regulam produceret. Menti Tuæ cuiusuis Recti non incapaci, vittas consuebat Præsuleas, hoc cornuto dilemmate, deuictura aduersantis Fortunæ argumenta vel retortura. Quanquàm cùm Hercules felicior cresceres in interitum Hydræ (infortunia Patriæ intelligo) quæ Tuo enecas consilio, nunquam reuictura: quidni hunc anguem lubricum, Fortunam, adhuc in cunis non elideres? Etiam est illorum qui in magnum orbis ituri sunt exemplum, quiq; palmaribus insistunt honorum vestigijs, vt ita sibi stipendiariam in cunis Fortunam reddant, vt in canis ab illa censum extorqueant: Phænici enim affine est annosa felicitas, nec infra admirationem descendit, si in constantiam adulta, in congenitam sibi non repuerascit leuitatem. Veriùs dicam: Emerito Tuo capiti veluti Musarum sedi, bicollem exstruebat Parnassum, præsapiens sanè Iouem Te futurum, ex cuius cerebro, doctæ erant progeniturae Pallades, quia salubria consilia, totum in Tuum caput reditura Palladés, quia salubria consilia, totum in Tuum caput redimendum destinat Parnassum. Vna quippe laurus non sufficit pro capite multarum rerum capaci, ni eodem par amplæ Menti, lauruum numerus euirescat. Et certè illi tantùm non exoptant multâ lauru frondescere, quibus cùm siluescat caput, ingenium solos progerminat stolones: vel qui nil gloriosiùs sibi ducunt, quàm in his vmbris delitescere, hac tantùm contenti luce, quam ab vmbratili luco & loco deriuant. Generosæ mentes cùm vnâ victoriâ nec vno præclarè satiantur facto, exile autumant ornamentum, vnam laurum, ni pluribus decorentur. Imò totæ flectuntur in laurus; sobolescunt in frondes, in folia explicantur, veluti feliciores Daphnides, à docto adamatæ Apolline. Benè, benè ILLVSTRISSIME PRÆSVL, ex Tuis infantilibus cunis, virtus legit (quæ etsi aliorum per sæpè mentiantur) Tuæ tamen futuram metiebantur magnitudinem; Bene, inquam, legit Te futurum multarum capacem laurutim; quia & multorum rectefactorum;

imprimis Infulam.

ac pro-

ac proindè hunc Præſuleum Parnaſſum, ad Te ordinabat coronandum. Videlicet non vna dies impendenda eſt effingendis ad redimienda Magnorum Heroum capita decoribus, cùm virtus vt ad menſuram emeritorum temporum Illuſtriſsimi Præſulis produceret, tot ætates impendit, ac æſtates. Et iam poſt Præſuleas Tænias, etiam manus ſanctiori exornat annulo; Quaſi necdum ſit ad perfectionem decorum, ſi tantum caput gemmi rutilet, obryzo fulguret, manus hac felicitate orbæ ſqualleant incomptæ. Verùm PRÆSVL ILLVSTRISSIME veluti victimam Aræ ſuæ, virtus Te hoc ſubharrat annulo: ſatiùs vt pueritiæ emenſo curriculo, felicibus alaudis ad promeritos decurreres honores, hanc Fortunæ rotam Tuo ſuppoſuit corpuſculo. Vix enim pedibus honor aditur, imò nulla ſpes eſt illius, quæ tota in pedes influxit. Sed nec Eques Leſcus benè ad expoſitam honoris metam, quamuis ferreâ cucurrit ſemitâ, ad quam non coronam ſed interitum adinuenit: & qui gloriæ & honoris fænora ſe ſperabat reportaturum funera & mortes reportauit. Non bene ad honorem currit fraudulenta ambitio, quoties aſtù vel ferreo decurrit itinere. Vt Te ab hoc PRÆSVL ILLVSTRISSIME conſeruaret infortunio, in Tuum emolumentum virtus intenta, ad fugacem aſſequendum honorem hoc opportunum prouidit vehiculum. Quem ſi non nemo Politicorum circularem profeſſus eſt, hoc gyro circumſcribes Honorem, imò in Tuum includes annulum fortunatus Gyges. Et ſuperum fortaſſe conſilio euenit, vt ad Gentilitium Tuum nauigium, etiam hoc aureæ fortunæ accederet eſſedum, vt à Te nec mari nec terrâ Honor tutus eſſet. Quem terrâ hoc curriculo mari Gentilitia Naui fugientem inueſtigares. Quanquàm vix crederem eſſe fugacem à Te, quem ad has perpetuas CPALENIÆ Veſtræ Domûs Triremes virtus damnauit. Vnde nec Turres Poſnanienſes Te poterant terrere ab hoc vindicando mancipio. Si cui enim profugo, tum honori non datur murus, ab eoq; incaptiuando nec arces arcere poſſunt: nec ſecures ſecurum, nec tela tutum faciunt ab herois mentibus. Sed quem inter mænia nulla propugnarent munia, extra curulem in culmen profugit Culmenſe, ratus vel eò ſe tutiorem, quòd non iam muros ſed ſe obijceret. Verum ceſſiſti, ceſſiſti in prædam. Si te enim non texerunt abdita, aprica in ſpolium denudabunt. Quodſi campeſtres Sarmatæ, bene bella gerunt ſub Ioue frigido, & hic non abortiuus ab Alite Lechica Pullus, ad tam ſublimem euolauit verticem, Te in ſuas rapturus manubias. Sic qui in herbam & laurum abiturus eras, in culmum nunc abis, quia in Culmenſem Mytram. Etſi iam tantùm de conflato Tibi à virtute annulo oratoria obganniuit penna, necdum tamen ipſam veritatis attigit medullam. Auro manum Tuam virtus ornat, quæ ferream ne- *Annulum Præſulen.*

 ceſſitatem

ceſſitatem fatorum à Patria propulſaret. Si enim illi ſoli tantum conceditur auro bibere, cui ferrum dulce eſt, etiam auro illa dextera decoretur, quæ proſcripta chalybei ſæculi rubigine, auream veluti è poſtlimino Patriæ felicitatem reduceret & reuocaret. Satius ſignauit dexteram, à qua Sarmatia languentem & labentem ſuam eleuari Fortunam expectaret. Palmæ Tuæ, quòd non ſteriles Palmarum & Lauruum ſint, auro coronantur. Nullo quippe magis laurus rependitur, quàm auro; & ſemper ij quorum Nomina in Hiſtoriam orbis euaſura ſunt, per laurum ad aurum iter volunt. Sic ergo ILLVSTRISSIME PRÆSVL cùm totus aureus ſis, diſplices tamen ſed ſolùm inuidæ fatorum rabiei. Aſt cùm ſit etiam virtutis, aurum auro addere, & pretium pretio, etiam Tibi virtus ad eadem infantiæ cunabula argenteos præparabat Scipiones, fluctuantiq; Tuæ dexteræ inter faſcias intrudebat, vt ab ipſa Infantia baiulando ponderi aſſueſceres, quod grandior annis & meritis eras ſuccolaturus. Leuiori quippe pondus maturiorem ætatem grauat ſarcinâ, ſi eius non parua pars etiam tenellis infantiæ lacertis incumbebat. Sed præſaga mente coniecit virtus, Te futurum Atlantem, qui Patrium verſares Zodiacum, feſſis aliquando viribus hunc conflauit Scipionem: Quanquàm vix credendum eſt, vt illi per acerbum ſit onus, cui dulcis eſt amor Patriæ. Veriùs dicam hic Scipio eſt anteambulo, qui ad auitos honorum decores, Tuam præcederet infantiam: Agnatum enim magna alti Sanguinis germina habent vt adhuc in culmo, & iam ad grandes ſignentur felicitates, trabeatis deſtinentur purpuris. Priùs non degener à Paterna linea ſoboles, vides honorem, quàm ſolem; prius Te excipit Fortuna, quàm lux & dies: Imò non priùs figis paſſum in terram quàm in purpuram. Nec alia infantiles vagitus componet cantilena, quàm quæ de Honore occinitur Domui Tuæ famulante.

Pedum Pontificale.

Atq; nemo abſorbeatur admiratione, quòd & Tibi ſecunda ad honorem euenerit Nauigatio, quem virtus rebellem domuit, domitum, collactaneum & corriualem dedit. Non ita quidem ſecundam velificationem ad honorarias Inſulas virtus direxit, vt etiam ſingularis eiuſdem beatitudinis non detur portio, & Gentilitiæ Tuæ Naui, quæ dum tot Nomina & Numina contineat, citra omne periculum debuit Inſulas attingere fortunatas. Trahimus enim cum Sanguine Maiorum Noſtrorum, vt virtutes, ita & virtutum pediſſequos honores, & quidquid in illos congeritur, in Nepotes copioſo redundat torrente: Imò clarior eſt purpura, quam multis annis maiorum ſanguis colorat, ſi tamen à Succeſſoribus non decoloratur. Quanta Tibi ILLVSTRISSIME PRÆSVL poſſeſſio felicitatis accedit ex maiorum Tuorum præclarè geſtis, ille tantnm non conſpicit, qui ad lucem eorum vel cæcutit vel lippit:

Altius Maiorum ſanguis ſuffragatur ad Secundam Nauigationem Illuſtriſsimo Præſuli.

pit:

pit: Quosq; cum virtus ad parem nisum non coniunxerit, inuidia exemit. E vestro Cinere reuiuiscite Sarmatici Phœnices. quanquam vix credo esse tumulatos, quia præclarè gestis cumulatos. Non potuit vobis fatum vitam eripere, quam dedit Recti virtus conscia. Laxamus calamos pro elaborando NICOLAI OPALENSKI Cancellaridæ Silesiæ elogio, qui nec suo sudori nec hostili cruori temperauit. Etiam nostros fastos impleat suo Nomine, quia famâ Orbem impleuit. Post duros thoracis amplexus, mollior eum charta ambiat. Et bene paginæ inscribitur, vtpote qui se prius in pectoribus barbaricis inscripsit. Exaratur non obliterandus, quia non alio colore & calore, quàm Martio: securus quippè sit de immortalite, quem meliùs hosticus, cruor quàm atrata sepia notat in annalibus membranisq;. Viuis & Tu NICOLAE OPALENSKI, quem quamuis tumba texit, clara tamen famæ tuba, successuris buccinat ætatibus, post ipsaque fata superstites euoluis annos. Nimirùm,

Nicolaus Opalenski Cancellarides Silesiæ cæditur in syluis à Scythis.

Mori nequit
Cui vitam perennem
Barbaricæ pepêrere mortes.

Iuisti ad immortalitatem non alijs gradibus, quàm quos ex recisis Scytharum capitibus construxeras. Callent adhuc syluæ effuso Tartarorum cruore ex auulsisq; arborum frondibus plus gloriæ; quàm sanguinis hostilis promanauit nec in arborum folijs aliud notatur, quàm spolia, manubiæq; hostibus detractæ, vel ideò Sarmaticæ Actæon, pharetratos crede lepores, quòd timore prælij in syluas abigantur. Sed cum sit nullibi tutus locus hostili perfidiæ, nec vmbratiles eos protexerunt syluæ, ferarum tantùm asylum. Etsi non feræ, efferæ tamen mentes, idcircò ad syluas maturant, vt deponant inter feras, quidquid inter homines humanitatis acquisiuerint. Age præliaris Orphee, in Tartarum non plectro sed gladio; non insuaue nobis melos efficies, quia gemitum hostium Et iam agit Tartarum in saltum, in quo non franguntur ceruices, sed præciduntur. In hac Belli chorea, sponte noluerunt adorare Poloniam, depositis capitibus eam venerari coguntur. Insolentem sanè Martiæ Fortitudinis concentum, ad quem non pedes duntaxat, sed ad ipsa saliunt capita: Dumq; robur Martium canit, hostis cadit. Sic sic Sarmatæ in ceruicibus hosticis ludite, vt illudatis hosti: de quo vestris armis tragœdiam composituri, eiusmodi lessos præcinite, quibus sopiretur hostis, nunquam reuicturus; vel qui ab eo pro lacrymis sanguinem extorquerent. Pulchrum vobis inter hos ferales hosti actus, perennantis Famæ exstrueretis theatrum, nullo obliuionis tegendum proscenio. Ille duntaxat eiusmodi velo obducitur, qui scenas tantùm Fortitudinis, & non veram gerit Historiam.

Non personatus Heros, in hac gerendi Belli tragicomœdia, NICOLAVS OPALENSKI [scenico enim milite seria Patriæ calamitas non eget, præsertim vbi fortuna eius non ad comœdiales sed Tragicos actus inclinatur] non personatus, inquam, Heros NICOLAVS OPALENSKI, vel eò, quòd post antiprologos præliaris velitationis, post tot actus concurrentium virium & virorum, post iniquæ Fortunæ interludia, post Martialis aleæ intermedia, Epilogum facit vitæ tantùm, non furoris in hostem. Etiam in emortuis Heroum cineribus, scintillant odia in hostem non priùs extinguenda quàm hostis. Lacrymas tunde calame; laxiori enim debebas dispensare profusione atramentum, in NICOLAVM OPALENSKI, cùm ille ab educendo hostili cruore, tum abstinuit, cum à vitâ. Solue ergo calame pro colore lacrymas, quia Scythæ NICOLAI OPALENSKI armis adacti, pro tributo sanguinem dederunt. Ergo moreris Heros inuicte qui ipsi fato mortem credebaris inferre. Sic est sæpe à Martia lauro, spurius stolo pullulat cupressus. Sed.

Sta Calame
Vt Patria non nutabunda staret;
NICOLAVS OPALENSKI Cancellarides Silesiæ
cecidit.
Non priùs tamen vitam deposuit.
quàm capita hostium.
Nec priùs vincere, quàm & viuere desijt.
Superstites hostes
Corporis sui mole obruturus.
Helluo cruoris hostilis.
Abstinuit tantùm à uitijs, non ab effundendo hostis sanguine.
Quia Sarmaticus NICOLAVS.
Nullibi magis odit frugalitatem quàm in cædendo
Heroa virtus.
Verum eodem ictu hostem & Te,
ac Patriæ solatia perfodisti.
videlicet.
Instar Magnarum Molium Heròés Animæ.
nunquam solæ cadunt.
Quasi non ad Funebrem Pompam sit ipsis
si solitariæ incedant.
Et non Parentalibus stipatæ doloribus.
Gloriam si quæris
NICOLAI OPALENSKI.
In ceruicibus hostium legas impressam:
Nullibi quippe præclara facta perennant.
quàm in cinere hostili.
Iuuat hic puluis memoriam posteritatis

In

In ſyluis hoſtem cædit
In illis venatus ſibi periculum & mortem,
Patriæ ſecuritatem.
Ibi cùm tot hoſtes detruncaſſet,
ipſe non ignobilis cadit truncus.
Ex quo
Laurus victoriarum pullulaſſet.
In recentem Polonia laurum reuiuiſceret,
Si ſæpius eiuſmodi implantaretur ſtipitibus.
Sed Tu
Perenna in memoria ſæculorum.
NICOLAE OPALENSKI.
Qui vt adderes annos Poloniæ,
Tibi decerpſiſti.

Non eſſet quidem parcendum parentali dolori, quem triſte fatum Illuſtris Herois, à gratis pectoribus extorquet, ſed cùm ſuperſtites eiuſdem OPALENIæ Domûs Heroes, flebilem dolorem leniant, ab epicedo ad epinicion reuocamus calamum & animum. Et imprimis latepatentibus chartis ſeſe inſinuat MATTHIAS OPALENSKI Succamerarius Poſnanienſis à Nomine OPALENIORVM vti non degener, ita nec à virtute. Vbiq; non infortunatus, quia MATTHIAS vbiq; magnus, niſi maior voluit eſſe, quam dici, ſuâ gloriâ & martiali virtute. Laurus illi virebant & canâ hyeme profuſo humectatæ tabo, & quamuis candida, rubeſcere tamen eſt coacta, ad hoſticum cruorem. Et quia benè gloriæ decurrebas ſtadia, Equitis Lithuaniæ ſtudium ad certamen euocaſti. ſed humanitate. Aſſociauit te Vitoldus Dux Lithuaniæ ad latus, ſuam ſalutem tuæ concrediturus tutelæ, in cuius ſinu ſecurè quieuit Patria, à qua omnem propulſabas timorem, in pectora hoſtilitatis. Nempe ſciuit nullibi commodiorem eſſe ſecuritatem, quam in fortium ferro, quorum pectus nulla pulſat perfidia, niſi hoſtium, vt eam vlciſcantur. Acceſſiſti ergo Lithuaniæ, ita tamen, vt non diminuereris Sarmatiæ. Et ſanè ſi quando potentiùs virtus Lithuana emicuit, tum te vnito. Vbi cùm hoſtibus ictus, etiam has trabales literas imprimebas, Sarmatas nullis terreri periculis, ſuiſq; illos malis creſcere. Non lentiori paſſu ſeſe infert, & JACOBVS OPALENSKI Equitum catafractorũ Magiſter, vtpote qui precoci maturitate in auge bellicæ virtutis feſtinabat, etiam non teſtudo in æternitatem, ſed aquila euolauit. Legit huius Hectoris Pomerania, imò ſentit veſtigium, quia hiantibus inſculptum vulneribus: quanquam nec ille ſine vulnere, quia non ſine immortali nomine. Addiſcite caro emi immortale nomen, illudq; ſolis poſſe nundinari cicatricibus. Addiſcite immortale nomen mollibus non cubare culcitris, cum IOANNES OPALENSKI,

Matthias Opalenski Succamerarius Poſnanienſis.

illud ſibi compareret, inter duros ægidum amplexus, non decubuit, ſed occubuit. Videlicet nemo ignauis paſſibus eluctatur, ad non interituræ memoriæ Capitolium. Viuis tamen NICOLAE OPALENSKI, qui poſt tot ereptas hoſtibus vitas, etiam tuam dediſti Patriæ. Semper orbis adorabit Tuã fortunam, quamuis cæſam, tamen triumphantem. Sola enim.

Nequit mori,
Quæ Bellicoſis immoritur iugis.
Fortuna, cæleſtiq; magnum
E tumulo caput æquat orbi.

Mareſchalci ex Illuſtriſsima Domo Opaleniorum 124. annis non interruptis ſuccedunt.

Erigimus hic Stylum noſtrum, quia & OPALENIA Domus in Senatorias Honorum Curules attollitur. Nec calamus atteritur, quia in nouas laudum, & argumentorum inuolat materias: ipſa manus non pigreſcit, in elaborandis Magnis Nominibus Elogijs, quam Mareſchalcales OPALENIORVM protrudunt Scipiones. Poterit ne Illuſtriſsime OPALENIORVM ſanguis Tua Fortuna his innixa Scipionibus aliquando eſſe procidua, poterit ſanè imò eſt, ſed in Tui venerationem. Citò illa repoſcit quæ dedit, Tibi ita candida, vt in Tuis tantum obſequijs conſenuiſſe videatur. Apud alios vix paucis commoratur annis apud te ſæcula impendit. Et cum alijs vitream, tibi ſe gemmam exhibuit. Vbi non interruptis centum viginti quatuor annis, fidele Tibi præſtitit famulitium: quæ tamen poſt multa opera, ne laxaretur in ruinam, Veſtris Magni Manes ſuſtentabatis Scipionibus. Probè caluiſti, Illuſtriſsime ANDREA OPALENSKI hoc fulcro & tuam fortunam & Poloniæ ſuſtinere; Caluiſti hoc Caducæo motos componere fluctus, & ſuauiter demulcere. Videre erat noſtræ Reipublicæ turbulentum Statum, multis diſcordiarum concuſſum machinis: decertabat illa pro vno Principe, diuerſis votis; & prout animo vel odio in quemq; propendebat, ita ſtudio, vel odio, in quē ferebatur. Trahebat partē Reipublicæ Stephani Batthorei virtus, optimi & meritiſſimi de hac Republica Regis: cuius geſta multorum Hiſtoricorū manus laſſarunt, attriuerunt calamos, exhauſerunt atramentum. Alteram Reipublicæ partem ad Maximilianum Auſtriacum, ſibi ingenito aurum pelliciebat lenocinio. Credimus iam effato veridici vatis *Aurum per medios ire ſatellites* cum noſtros Sarmatas, ita pulſauit, vt expugnaſſet. Credimus poſſe aurum ipſos expugnare montes, cum tam valido mentes ariete concutiat. Quod cum habeat ingenium in pedibus, ſapientiſſima quæq; dementat capita. Sicque hoc aureo imbre aſperſſas in Sarmatia glebas credidiſſetis Saturnia germinare ſæcula, attamen ferreos eſt experta dies, eos in ferro martiali peragendo. Poſt hanc auream inundationem Zizania in aruis Sarmaticis pullularunt. Quid tu magnanime Heros egiſti? imò

quid

quid non egisti? auro dementatas mentes Sarmatarum ad meliora reuocas, in obcæcatos illorum oculos solem adducis, quia Principem & Regem Batthoreum, quosq; tuâ suadâ non flectis, largâ munerum profusione frangis; non inconsultâ tamen, nam dabas, non proiciebas beneficia. Videlicet docuisti hîc plura capita, bene in vnum sensum coalescere. Sic ergò, non dispendium substantiæ, te poterat à componenda Republica auellere, eò quod cum ipsi magna dederis, maiora tamen accepisti. Nemo enim tam numerosa, in Rempublicam effundere potest liberalitatiis congiaria, vt numerosiora ab ea non exhauriat. Non difficultas viarum, totque sinuosi montiùm anfractus, impedire te poterant, ab educendo è Transyluano solo ad solium Polonum Principe, imò tuismet malis & periculis crescere videbaris. Docuisti generosam indolem nunquam per mollia incedere, virisq; fortibus aduersa esse, Lydium lapidem tantùm, quo explorentur non allidantur. Nec maiori curæ tibi fuit tuæ salutis iactura, quam Patriæ, vtpotè qui non tibi sed Patriæ commodis natus, typum in Poloniam amoris reliquisti, moriendum esse, vt illa viuat. Verum qui sciuisti Polonum Orbem componere, scies & vrbem Gedanensem. Balthici Maris Numen, quanquam inter frigidas vndas, eferbuerat tamen in iras, exarserat in flammas: iamq; decumanos suæ rabiei fluctus, deuoluere annitebatur (quanquam iis allueret tantum nostram Sarmatiam, non opprimeret). Sed vix sensit Gentilitiam Tuam Nauim appulisse, mox agitatam irarum Æoliam compescit, in preces minas, furores in amores conuertit, mitescunt fluctus, procellæ pacantur, tempestas detumescit, malitia in malatiam serenatur. Et profectò gauisa est vrbs sibi per te redditam esse serenitatem, suumq; adorata est solem, qui Tua operatione, oleam pacis produxisti. Viuit, ex ipsisq, sepulchrialibus vmbris enitescit LVCAS OPALENSKI, Mareschalcus Supremus Regni. Nec huic Lucæ sine Tauro esse contingit, quia non sine laboribus, pro integritate Patriæ exantlatis. Etiam hic Lucas posteritati depictam reliquit imaginem, nunquam obliterandam, quia viuis virtutum coloribus pulchriùs depinxit, quam vt quis facundissimus exprimat Oratoris calamus. Ijsdem vestigijs instat huius Nominis secundus LVCAS OPALENSKI, à primo quia Honore non degener, nec nomine virtuteq; abortiuus: cuius facta cum tot fasti loquantur, mihi silentium imponunt, venerationem tamen indicunt. In ingentem enim hæc pagina excresceret Iliadem, nec tamen imensitatem Vestræ Illustrissimæ Domûs OPALENIæ comprehenderem, quæ suâ amplitudine ipsos impleuit cælos. Compendium de vestris encomijs est animus nectendi, non volumen. Non quidem vt possint aliquibus conscribi orationis collectis, quæ suo incremento ipsa

Tulliana excesserunt pneumata, sed quia virium mearum hæc mensura. Huculq; præibant Mareschalcales Scipiones qui me ad Illustrissimos Castellanos & calamum meum deduxerunt. Conterminis gentibus buccina Fama ANDREAM OPALENSKI Castellanum Callissiensem, qui non alio conditus Mausolæo, quàm in pectore gratæ posteritatis. Tali monumento plerumq; sepeliuntur, quos ab iniuriosa vetustate, & inuidiosa fortibus viris obliuione vulnera amorem in Principem & Patriam loquentia distinguunt. Aliquando Præmyslaum Principem, ita duxit amor venationis, vt abduceret in syluas sibi fatales: Nam casses in cassides, & casus vbi sensit commutari, non feras sed galeatos conclusit ceruos. Verum quo properas: ad necem forsan? dum enim feras insequeris, in ferocem Brandeburgiensium animos præda potita incidis: & syluestribus animalculis vitam erepturus, tuam deperdis. Sic est: Principum vitam esse vitream, quæ si cautiùs non custoditur, frangitur. Imo Struthio Princeps sit non quidem chalybe sed inter militarem viuat chalybem. Meliùs tamen, si propensi circa Principem agunt excubias ciuium animi, quàm Mercenarij vigiliarum enses. Ad arma, ad arma Sarmatæ pro Principe hic est standum ne cadat, moriendum vt superstes viuat. Solus ANDREAS OPALENSKI, animum contra hostem eleuat, vt deprimatur, arma attollit, vt hostis cadat: qui etsi ideò in campos Poloniæ effusus est, vt fundatur, exiuit, nè rediret, excurrit quia deerat domi à quo caderet: sed eò ipso quod imparibus viribus decertatur, infelicissima Belli alea vertitur. Etiam vt prælium felici coronetur euentu, numerus non est excludendus, præsertim si non nomina sed robora militum connumerat. Certum omen belli est, si castra quæ sunt viris cumulata, numero virium accedunt cumulatoria. NICOLAVM OPALENSKI cum numerosa hostium colluuies, imò sentina obrueret, martios ignes & animam spirare desiijt. Dormi (vix enim te mortuum credo, qui tot vitis hostibus ereptis, ingrata Sarmatiæ spiras recordatione) dormi cæse leo, hinc inde cumulatus & tumulatus lauris. Hæderam enim tantùm porrexisti non laurum hosti. vtpotè non violento sed vinolento, quia ex Castris Bacchi. qui enim Tyrso pugnat, non hastâ, ei aridæ scopæ non laurus porrigendæ. Ast si in literis constituimus immortalitatem, in tumulo cæsi leonis hanc appendicem perennantis memoriæ suspendamus.

Andreas Opalenski Castellanus Calissiensis cæditur in syluis cum Præmyslao Rege.

Legite & lugete
Si estis feracia virorum sæcula
NICOLAVS OPALENSKI Castellanus Callissiensis
Vt per literaria ora clarus iret,
armatus per hostes iuit.
Ab hoste sanguinem, à calamo atramentum.

pro

pro tributo sibi extorquens.
Sciuit citò victrices laurus arescere ;
si post cruoris hostilis persusionem
atramento non humectantur.
Scilicet sudorem literarium esse radicale humidum,
quo si Heroes non nutriuntur,
æternùm in vita & recordatione
Occumbunt.
Ipsis Bachi ferijs.
Cessit Marti in inferias.
Cum tot cyathos Mortis implesset ;
Sanguine hostili,
etiam suum propinauit hosti in salutem Patriæ.
Et ipsis Bacho sacris temporibus profusionem sanguinis
non vini, Heroes volunt.
Hoc Martiali symposio inebriatus.
in ferali vrna decumbit in æternam noctem dormiturus.
Sicq; vbi festiua Bacho dies,
NICOLAO OPALENSKI PALATINO Callissiensi
nox atra mortis.
Nullam cognationem intercedrere Marti,
cum Bacho Heros fato suo monstrat.
In syluis eodem ictu cædit hostem, & arbores
detruncat in Coronas virentes.
Ipse verò die Cinerum cæditur.
Memor suæ conditionis in puluerem redit,
In quo
nullum memento scribimus :
Quod Augustus cinis NICOLAVS OPALENSKI ita captibus,
impressit Hostium.
Vt nullâ vetustatis obliuione,
erodatur nec eradatur.

Viue PETRE OPALENSKI, per quem vt Polonia in pace viueret, superi volúère. Legatus ad Ferdinandum Regem Vngariæ, eum ita in pacem sanxit, vt etiam à posterioribus non dissoluatur Successoribus, ita fæderauit, vt & fæneraret. Si quis citiùs nexus tum pacis explicatur in Bellum, hunc tamen, ad hæc tempora nullus dissolauit, nec dissecuit Alexander; quia vnione animorum contextum. Facile enim & ipse fæderum Cyppus disrumpitur, quem simulata ad amicitiam propensio colligauit. Etiam eodem nodo, & Solimanum inclusisti, quem non diuturnum spectauimus, eò quod non fuerit verus. Veram amicitiam tempus probat, nec sub fucata illius larua, hostilis rabies diu latere potest, tempore proditore. Addiscite quibuscunq; supplicem

cem ſe fingit hoſtis, non facit, eum tantùm neceſſitate in neceſſitudinem ire, & vultum ad amicitiam componere, non ſtudium. Veneror & Te ſuperis carum Caput NICOLAE Miedzyrzecenſis Caſtellane in ferro vir auree. Adoro IOANNEM Caſtellanum Rogozyenſem, qui cum vel ſolo Nomine gratias ſpirat, omni refricanti ſe memoriæ, non poteſt eſſe non gratioſus. Dij te ament ANDREA Camenecenſis Caſtellane, qui ita adamaſti Patriam, vt ab illa omnia infortunia, ad Crucem tui tutelaris abigeres. Tibi in receptis debet, quod nulla poterat hoſtili appeti tentatione, hâc munita Cruce Gratias hic lingua loquere, vbi iterum IOANNEM pronnntias Caſtellanum Miedzyrzecenſem, cuius ob merita in Patriam longa erit ſæculis pronuntiatio, nunquam breuis. Etiam apud gratam poſteritatem incrementum ſuæ gloriæ habent, PETRVS & MATTHIAS Caſtellani Landenſes, qui nunquam ſine comite Fortuna viſi ſunt incedere. Iam binas aſpeximus Gratias, ne tertia abeſſet, IOANNES Caſtellanus Santocenſis, hanc ſeriem Honoris coronat.

Vix primo Honoraria OPALENIæ Domûs ingreſſi ſumus Triclinia, & iam penna quaſi attrita, requiè reparari deſiderat: ſed quidquid tibi ineſt virium, enitere anime, palatinâ ſuadâ ad Palatinos. Eia iterum! inclama Fama, PETRVM OPALENSKI Palatinum Poſnanienſem, qui verè Moſchouitico Draconi ſtetit in rupem, ne virulenta infortuniorum in Poloniam eructaret flumina. Et ſanè docuit petras erinaceorum & Draconum refugium, non eſſe, cum Moſchouiticus Draco in Sarmatica Petra, tantùm inuenit ſepulchrum. Et quia mala hoſti nil efficiunt, niſi cumulata fuerint, etiam aurum in interitum hoſtis armas, ex quo verè aureos conflas viros, ferrum à Patria propulſantes. Monſtraſti poſteritati quomodo Heroes poſſint eſſe aurei pietatis montes Patriæ, cum & tu non paruus es effectus auri cumulus. Maluiſti tua expilare æraria, quam ab hoſte Patriam: quæ tamen tibi omnium ſæculorum recordatione, Fama impleuit. Nam

Qui liberali ſpargit opes manu,
Seruat.

Bono omine in Oratorium campum deueniunt, quia nec in Martio infauſtis pugnabant alitibus, IACOBVS & CHRISTOPHORVS, Palatini Poſnanienſes: quibus ſemper magna pro Patria negotiorum moles incumbebat. Teſtatur hoc ſuo Nomine omnem Poloniæ felicitatem ferens, Chriſtophorus, vel eo maior Atlante, quod non priùs Poloni Poli baiulandam ſarcinam, quam vitæ depoſuiſſet. Obſtupeſcimus hic feracem Honorum Domum OPALENIAM, dum poſt tot purpurata Numina ſubmiſſo poplite veneramur Petrum, Ioannem, Matthiam, maximos maioris Poloniæ Generales: qui tamen ab alijs nullo magis excipiuntur, quàm

ſingulari

ſingulari meritorum in Patriam numero. Compendioſa & Ioannes Palatine Breſtenſis, his Generalibus acceſſiſti appendix, qui explicantia Tuum Martium robur in campis Kaluſienſibus reliquiſti Scholia, à ſucceſſuris legenda ſæculis. Adſtitiſti JOANNI Tertio Sereniſsimo Poloniarum Regi non in deſerto, ſed Martiali campo, quem armis & Fortuna inuicti Principis, cum non inueniſſes feciſti deſertum; Hoſtes verò diſertos ad ſuos caſus & clades, non aliâ diſciplinâ, quam bellicâ erudijſti.

Huc phalerata in ſuo decore ſuada, huc ſacratior Apollo, huc benignior Mars. PETRVM OPALENSKI PALATINVM CALISSIENSEM pronuntiamus: Suada oratorium appone Calamiſtrum, adfer ſtybium. Emeritum ILLVSTRISSIMI PRÆSVLIS GENITOREM proloquimur, Apollo diſſolue enthuſiaſmum. Tot Baſſarum Murſarumq; DOMITOREM admiramur, Mars virente lauro, in Cedris adamantibuſq; ILLVSTRISSIMVM PETRVM OPALENSKI DIGNISSIMVM, ILLVSTRISSIMI PRÆSVLIS GENITOREM Baſſarum Murſarumq; DOMITOREM exſculpe. *Petrus Opalinski Palatinus Caliſsienſis Genitor Illuſtriſsimi Præſulis.*

PETRVS OPALENSKI
PALATINVS CALISSIENSIS.
Maiorum ſuorum ingens ſyllabus & æternitatis pagina.
Qui cum Auorum Atauorumq; ſuorum expleſſet,
paribus nomen decoribus,
adæquauit virtutem.
Suorum demum Poſteriorum factus Author & Idæa.
Pueritiam necdum egreſſus & ſenium attigit,
non quidem ætate, ſed moribus.
Verè Adultus Infans,
cui cum per annos non licuit ad Virtutem & Sapientiam
matureſcere,
animo maturuit.
Semper eſt ad eximia Auguſtarum cunarum precox Indoles:
à plebeio pectore eò diſtinguenda,
quod hæc ſit tarda quærcus illa celer cucurbita.
Videlicet,
Generoſo animo nec in Faſcijs poteſt deeſſe,
gloriæ & laudis ſeges.
Egregij Naturæ partus plerumq; ſuo ſe nutu produnt.
Et in pannis Magni Animi ſemper eſt magnus
paſſus in gloriam
Et profunda veſtigia in virtutem.
Adoleſcentiam Muſis,
Virilitatem Marti conſecrauit.

ibi Apollinarem,
hic Martiam promeritus Lauream.
Prius ad literaria Apollinis tela expositus,
quam cruento pro scopo Marti.
Semper fausto omine proludunt Literariæ laureæ,
Martialibus.
Cùm sapientia etiam Martium robur maturescebat.
In palæstra tamen nil magis didicit
quam vt Patriam defenderet:
cui cum se totum impendisset non suus factus, sed Patriæ.
Liberum tamen exercuit arbitrium,
quoties Massagetis armis fuerat imperandum:
imo verum eum OPALENIVM agnouerunt:
Martio illius ardore vstulati.
Et certe hæc PETRA fuerat offensionis,
Sed solis hostibus.
Ad quam non iam pedes sed capita allidebant.
Hic lapis etsi Patriæ salubris
Solis tamen Turcis sepulchralis.
Scilicet
Sarmaticæ Aquilæ hic æthites adiuuabat Tartarum.
Sed ad cædem.
In quem Asiæ Draco
cùm non posset virus, effudit animam.
Et benè Petre in Orientem vmbram porrexisti,
à qua cum se sanari speraret, perijt.
Illustrisime PETRE OPALENSKI
Vbiq; Tu Magnus.
Nisi Maior FILIO fuisses, Illustrisimo Præsule
quem Aris, te cælo destinasti;
illum Insulis,
Te gloriæ dedisti.

Magnum encomiorum argumentum, te tantum genuisse Filium, in quo etiam post fata viuis. Et quid magnus Genitor poterat edidisse nisi eximium. Nunquam enim leones parturiunt lepores, neclynx damas. Raro cernimus eiusmodi sobolem, quæ à vitiosis Parentibus descisset, ortumq; suum in meliùs reuocasset, sed semper.

Polluta turpi progenie proles
Rarò fit æquis æqua parentibus.

Ast Tu ILLVSTRISSIME PRÆSVL, non tantùm quòd à Parente tulisti in vultum, expressisti in moribus, in animum traduxisti; sed etiam maiores Tuos ita repræsentas, vt nunquam defunctos credamus. Et quamuis.

Facunda

Facunda multas copia subripit,
Celatq; laudes. Posterioribus
Obstant priores, nec videri
Tota potest sine fraude fama,
Quam mille claris occupat ausibus
Adulta virtus.

tamen inter maiores Tuos ita emicas, vt & tu sis primæ magnitudinis sidus in Polono Polo. Videlicet secutus maiores Tuos virtute, quibus successisti dignitate. Egregia enim Antecessorum facinora, dedecori sunt Successoribus, si eadem non imitantur vel non corrigunt. In te NICOLAI & ANDREÆ OPALENSKI Præsulum Posnaniensium, liberalis in sanctuaria profusio, non sterilem sanctitatis sementem irrigauit. In Te PETRI OPALENSKI Antistitis Vladislauiensis matura sapientia, in Patriam amor, in Rempublicam gratitudo, indiuiduum se Tibi associauit comitem. Quomodo adhuc Gentilitiam Tuam Nauim lenis cognationis impellit aura: in cuius sanguinem cum influxeris, etiam in docora. Sieniauiorum & Danielouiciorum sidera, cynosuram ad honores tendenti agunt. Grzymałtowiorum & Grudzyniorum Turres, vt nullibi deflectat nisi ad honores accendunt Pharos. Tęczyniorum Ascia omnem lubricæ Fortunæ glaciē, ne Gentilitia Tua Ratis concutiatur dissecabit. Działynsciorum Sagittæ ad quam honoris metam currendum esset demonstrant. *Affinitas cum magnis Prosapijs Illustrissimi Præsulis.*

Ac proinde poterat ne Tibi sinistra euenire nauigatio ILLVSTRISSIME PRÆSVL, qui suffragantibus virtute, & meritis, propitijs Maiorum Tuorum Numinibus, adspirante Affinitatis aurâ proueheb aris. Haud equidem. His ritè instructus non Scyllas Charybdesq; iniquæ Fortunæ enauigabit, verùm nullā inuidiæ Remoram cursum suum impedientem experietur. Iam ergo ILLVSTRISSIME PRÆSVL, ad Culmense Honoris Emporium prouectus, cape inde Præsuleum capiti Tuo Decus; quod prius tuismet redimitum fuit meritis. vel in hoc non tritâ Magnorum Præsulum iuisti semitâ, quia non prius Pontificalibus voluisti coronari Mytris, quam benè meritis: vt nihil Fortunæ deberes sed virtuti. Et leuiùs hoc culmen Tuo capiti incumbet, cui prius suum meritorum incubuit pondus. Non tamen ita Tuis meritis hæc Præsulea Tænia reposita est, vt illa adæquaret sed irritaret, quasiq; Orexis esset ad sublimiora capitis fastigia. Dioclecien sis Infula prolusit Tibi ad Culmensem Mytram, neq; hæc Coronis est, sed præambulum ad maiora Tuorum meritorum coronamenta. Semper sub ipsa merita Honor abit, quoties datur meritis extorquentibus. Ac proinde nec nos in hoc profundo Honoris (cum adhuc in altum tendas) Gentilitio Tuo nauigio, iacimus anchoram, nec Honori scribimus

Periodum

4 - 20
1 - 14
1 - 4

169 - 7
- 26
4
8 - 4

182 - 7